Dissertatio medica inauguralis, de scarlatina cynanchica : quam annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Gulielmi Robertson, S.S.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Andreas Coventry, Scotus, Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord. et Soc. Physic. Chirurg. Sod.

Contributors

Coventry, Andrew, 1764-1832.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Edinburgh : Apud Balfour & Smellie, 1783.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/z6ta7bam

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London.This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

(o) D2/61-e-19 ~~61~~



DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Scarlatina Cynanchica.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

Scarlatina Cynanchica:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ANDREAS COVENTRY,

SCOTUS,

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Et Soc. Physic. Chirurg. Sod.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS
LIBRARY

CLASS	61
ACCN.	13627
SOURCE	
DATE	

ROYAL COLLEGE
OF
PHYSICIANS
OF
LONDON

Viro illuſtriſſimo, et imprimis ornato,

JACOBO PRINGLE,

EQUITI BARONETTO,

De STITCHILL, in comitatu ROXBURGH;

Quem, qualem eſſe decet, fidelem experti,

Semel atque iterum in Senatum legerunt Britanni;

Nec non,

Reverendo viro,

GEORGIO COVENTRY,

Patri ſuo;

Illi ob amicitiam et officia,

Huic propter curam et amorem,

Quibus ſe nunquam non proſecuti ſunt;

Utrique in animi devinctiſſimi gratique teſtimonium,

Hanc diſſertationem medicam,

Ea, qua par eſt, obſervantia,

Oblatam voluit

AUCTOR.

CORRIGENDA.

Pag. 19.	*lin.* 20.	*post* laboranti, *pone* eſſet.	
29.	19.	*pro* propagare, *lege* propagari.	
	21.	rationibus,	regionibus.
35.	23.	Ex,	Et.
36.	12.	attactura	attingenda.
46.	20.	medicamentibus, *lege* medicamentis	ſtimulantibus.
49.	1.	ſumpti,	ſumpta.
	8.	adjuncta, quoque repellitur, *lege* adjuncta.	Repellitur quoque.
	12.	addicendum, *lege* ad dicendum.	
54.	12.	hoc,	haec.

PROOEMIUM.

EST inter artes ſcientiaſque quaſi foedus quoddam ac conjugium, quo lucem ſibi invicem, vim et dignitatem, praebent. Talem inter eas ſortita eſt medicina locum, ut ex ea, tanquam ex centro communi, in alias multas acies mentis dirigatur. Namque non ſatis eſt, ſi eam callere velles, ut corporis humani tantummodo fabricam ſcires. Ex variis enim rebus externis pendet ſanitas, variiſque per naturam explorandis remediis, ſi laeſa ſit, reſtituenda. Nunquam igitur ſine voluptate ſumma in mentem venit, quod animum tandem aliquando ad medicinam incubuerim, quodque in ea orbis terrarum regione natus fuerim, ubi, fructu et puritate, iſtiuſmodi diſciplinae traduntur.

De medicinae partibus, quae mihi obverſabantur, cum difficilior, tum magis inveſtigatione digna, quam quae exanthematum naturam complectitur, nulla viſa eſt. Variae quas induit ſcarlatina cynanchica ſpecies, et multifaria, quam ſubiit, quaeque maximas ei tenebras offundit, deſcriptio; quum praeſertim nuper adeo frequenter, violenter, ac funeſte debacchatus ſit; omni conatui, utcunque exiguo, ad naturam ejus inda-

gandam

gandam suscepto, veniam sine dubio conciliabunt. Ex argumentis variis, de quibus lauream medicam ambientes agant oportet, unum quod hactenus eo sit tractatum modo, ut juveni omnia perscrutanti in pauca conferre liceat, seligere difficile est. Nec hoc mihi contigit. De scarlatina, quanquam sero tantum ad eam medici animum converterint, complures tamen scriptores disseruerunt. Ne autem plus quam ferant humeri, aut brevitas talium dissertationum sinat, ad exarandum suscepissem, de notioribus verba feci. Quam de morbi a cynanche maligna differentia conversiam instituerunt nuperi, sedulo vitavi; quoniam in limites tam angustos redigi haud possit, parumque ad utriuslibet curationem conducat. Fateor tamen, opinionem esse maxime probatem unius eos esse generis, ac variari, prout laborantes res variae circumstantes, causae remotae dictae, simul afficiant. Quam tradidi curandi ratio simplex est; verum, ut spero, usu confirmata. Remedia pauciora enumeravi; ea enim undiquaque colligere ac coacervare quasi, quod nimis saepe fecerunt nostrae artis studiosi, exitio medicinae atque opprobrio semper duxi.

Methodum, quam usurpavi, rem totam tractandi, aliorum est judicii; sed ab eximiis meis Professoribus, in alma hac et florentissima academia, medicam aliasve scientias docentibus obnixe peto ac contendo, ut novissimum hoc tentamen ea, qua erga me per annos septem usi sunt, benignitate accipiant.

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Scarlatina Cynanchica.

DEFINITIO.

PYREXIA contagiosa, semel tantum aliquem adoriens; deglutitio et spiratio difficiles, cum angustiae in faucibus sensu; tumor, rubor, et dolor, tonsillas et membranam faucium mucosam afficientes, cum crustis mucosis, coloris albescentis vel cineritii, serpentibus et ulcera tegentibus; tertio morbi die, facies aliquantum tumens; simul in cute passim rubicunda efflorescentia, maculis amplis, vix eminentibus, tandem coalescentibus, post tres vel quatuor dies in squammulas furfuraceas abiens; superveniente saepe anasarca.

A HISTORIA

HISTORIA MORBI.

Medici, Scarlatinam Cynanchicam diverſam ſpeciem in aegris ac temporibus diverſis prae ſe ferre, conſentiunt. Indolis, enim, eſt interdum adeo benignae, ut parum quidem moleſtiae laboranti afferat, et ſine ope medicamentorum depelli queat, vel potius ſponte decedat; alias vero tam late graſſatur, tamque cito et potenter ad orcum ducit, ut nulla valeat curatio, vel praecavere vel jam adortam lenire. Huncce tamen morbum, revera varium et mutabilem, ſive numerum ſive diverſitatem ſpectemus ſymptomatum, iis, quorum enumeratio ſubſequitur, ſemet in plurimis exemplis oſtendere, pro comperto habeo.

Incurſum omnis ſcarlatinae, non ſecus ac aliorum exanthematum febrilium, comitantur aegritudo quaedam totius corporis, major minorve laſſitudo, motuſque difficultas, et frigoris ſenſus, qui auctus inducit luridum horrorem. Cum his calor ſolito major alternat, et brevi excipit. Æger triſtis fit, ſubindeque de dolore capitis, nauſea, et ad vomitum niſu, cui tandem aliquando ipſe vomitus ſupervenit, conqueritur. Inſigni etiam ſomnolentia afficitur,

afficitur, et coryza una cum epiphora (ſi obſervationibus Mortoni et aliorum fides habenda ſit) nonnunquam, licet raro, vexat. Eodem fere tempore vel paulo poſteaquam invaſit morbus, aliqua ſentitur in faucibus internis moleſtia, ac ſimul rigor colli, et potius difficultas quam vorandi dolor. Cutis calida et arida eſt, pulſuſque arteriarum crebriores et validiores, interdum etiam duriores, evadunt. Haec ſymptomata, quanquam quolibet per diei decurſum tempore acceſſerint, ſub veſpera noctuque ingraveſcunt. Sitis urget, et pyrexia accenditur nunc numeroſioribus ſigniſque gravioribus, praecipue inquietudine et ſaepe delirio, ſtipata. Indicia omnia poſthac intenduntur. Cum aucto gutturis dolore ſimul aegrius deglutitur. Si minus antea, nunc crebrior fit reſpiratio, et difficile peragitur. Spiritus haud olet, ſed plurimum calet. Fauces internae ubique tument et rubent, haeque partes, imprimis uvula, velum pendulum palati, et tonſillae, maculis albidis, quae vere ſunt cruſtae mucoſae, et quarum nonnullae ulcuſcula obtegunt, pus bonum effundentia, et ſanatu haud difficilia, brevi obductae perſpiciuntur †.

Lingua,

† Quamvis, in pleriſque conditionibus, inflammationem faucium erysipelatoſam, in paucis tamen phlegmonodeam eſſe, eoque apoſtema

Lingua, quae ſub initium arebat, in omni parte, praeter apicem et margines, qui humidi et rubicundi ſunt, humore ſpiſſo et flaveſcente prorſus illita eſt; totumque os interdum viſcido muco oppletur. Urina, quae coloratior eſt, parce ſecernitur; aliquibus vero in exemplis eſt ſuae in ſanitate conditioni parum diſſimilis. Alvus quandoque aperta, ſaepius dureſcit. Ægrotus nunc cibum cujuſcunque generis non ſolum non deſiderat, ſed penitus averſatur; ſitique inſtante, potum, ob nauſeam quam movet ſeu auget, obque doloris in deglutitione vehementiam, vel omnino non poſcit, vel ſaltem a multo abſtinet.

His

ma interdum aeque ac cruſtas et ulcera formari, obſervatur. Praeterea, in quibuſdam inflammatio ita ſanatur, ut conſtitutio partis integra maneat, ſeu, uti loquuntur, *reſolutione* terminatur. Quod ubi ita feliciter evenit, nec ulcera nec apoſtema reperiuntur, fauciumque vitii natura ab aliis rebus exploranda eſt. Quinimo, et vitium ipſum interdum vel penitus abeſt, vel tam parvum extat, ut neque de eo conqueritur aeger, nec viſu facile deprehenditur. Nihilominus, in his exanthemata notabilius tardiuſque ſeſe produnt; et pyrexia, ſynochae faciem induens, lenior plerumque invenitur. Hujuſmodi exempla, numero modo majore, modo minore, in qualibet ſcarlatina epidemica, reperiuntur. Et conſtat quidem, ex hiſtoriis morbi ab auctoribus traditis, ſi non imperfectae ſint, ſcarlatinam forma tali benigna fuiſſe graſſatam.

His ſemet ita habentibus, die a principio morbi plerumque tertio, maculae plus minus latae, ex papulis innumeris, perexiguis, confertis, vix eminentibus, et obſcure rubentibus, conſtantes, in cute cum pruritu erumpunt, ſenſimque ſerpentes, inter ſe confluunt. Tandem colore et numero, quibus primis diebus admodum variare ſolent, conſtantiores factae, totam ferme corporis ſuperficiem, nunc minus nunc magis ſaturato colore, ſuffundunt. Primum in facie comparet efflorescentia, collo, et pectore, dein vero, ſpatio viginti quatuor circiter horarum, ſubinde celerius tardiuſve, in brachia, truncum, artuſque inferiores diffunditur. Manus et digiti, qui tument, rigent, et tactu dolent, quandoque notabiliter rubent. Partes exanthematis obrutae, imprimis facies, manus, atque pedes, aliquantum intumeſcunt, cutiſque digito compreſſa albeſcens, remoto, mox iterum rubeſcit.

Eruptio, tum quoad tempus quo primum ſeſe monſtrat, tum quoad durationem, multoties variat. Nam, licet ut plurimum triduo poſt primam morbi acceſſionem, tamen alias citius alias ſerius apparet, et quo citius eo pejor, quo ſerius eo lenior morbus. Evaneſcit etiam nonnunquam, frigore corpori adhibito, et vitium gutturis utique augetur. Cum vero aliquot dies, tres nempe vel

quatuor,

quatuor, perduraverit, pallescit, potiusve fuscum adipiscitur colorem, et faciei partiumque aliarum subsidente simul tumore, cum cuticulae desquammatione decedit, diversas partes eo, quo comparuerat ordine, relinquens. Antequam in furfuraceas convertatur squammas, cito abscedentes, epidermis, in vesiculas passim, albas, plerumque vacuas vel aëra solum continentes, miliares pustulas quam plurimum referentes, eoque quibusdam morbo parum expertis ita imponentes, ut pro miliaribus habent, saepe elevatur †. Quocirca, vesicatione largiore facta, cuticula tandem dehiscit, aspera fit, demumque non sine ingenti, quo vexantur aegri, pruritu desquammatur, et eo magis, quo amplius fuerit exanthematis obsita.

Exanthematis prodeuntibus, pyrexia saepe, quamvis non semper, ut aliqui opinantur, remissionem patitur, et quo magis, eo postea benignior morbus; quoniam commodius subsequitur desquammatio, et laesae fauces maturius sanantur. Verum saepius, postquam comparuere, fauces in statu fere manent eodem, neque pyrexia minuitur, neque est aliis symptomatis mutatio, donec inchoaverit

† Auctores passim, praeque caeteris expert. M. Ant. Plenciz Viennae Tractat. de Scarlatina, parag. v. et clar. Withering account of the scarlet fever, &c. p. 116. 117.

fit desquammatio. Hoc tempore, in istis sub hac morbi forma multo numerosioribus exemplis, ubi scarlatina haud infeliciter finitur, protinus sensimque mitigatur pyrexia. Nunc quoque, nimirum die septimo seriusve, arteriae tardius micant, modici sudores erumpunt, fauces a suo vitio levantur, somnum redit, et ciborum appetentia, saluteque sua pristina, fruitur aeger.

Complures tamen eorum, qui ita convalescunt graviterque non aegrotabant, prima, secunda, vel hebdomada a dissipata scarlatina tertia, hydrope corripiuntur. Nimis frequens haec scarlatinae sequela quibusdam patescit indiciis, notatu maxime dignis, quippe quae morbum, ne rite amotus sit, admodum perniciosum secuturum esse, praemonent. Valescentes, primo artuum lassitudines et dejectionem virium paulatim ingravescentes, queruntur, animum abjectum habent, noctes degunt insomnes, et urinam subrubram, immo, saepe sanguinolentam †, et sedimentum furfureum deponentem, parca quantitate, cumque ardoris sensu, reddunt. Cutis semper sicca. Sitis perpetuo vexat, et escae appetitus multum diminuitur.

Hydrops

† Navier comment. de rebus, &c. part. 1. vol. 4. p. 338. et Plenciz tract. parag. vii.

Hydrops tandem ſupervenit, et ab aliquo faciei, vel circa pedum maleolos, tumore naſci conſuevit. Brevi creſcit, nuncque unam nunc alteram corporis partem magis occupat. Anaſarcae ſpecies frequentiſſima; aſcites autem et hydrothorax interdum offenduntur. Cerebrum perraro hydrops petit; ſed, ubi incidit, coma-vigil, delirium, et caecitas exinde ſequuntur †.

Opportunum ſi afferatur auxilium, minime lethalis hydrops poſt ſcarlatinam adoriens eſt, et facile cedit. Aſt, aliquibus medicinam facientibus, longe plures rapientem, quam ipſa ſcarlatina, contigit vidiſſe. De illo clar. Plenciz, ſua ex experientia neque parva, concluſiones quaſdam breviter narrat, et quas non abs re erit referre. Notavit 1*mo*, ‘ Quod iſte leucophlegmaticus ſtatus ſuperveniat po-
‘ tiſſimum illis, qui copioſis aut malignis ſcarlatinae exan-
‘ thematis afficiuntur. Vidi tamen benigniſſimae ſcarla-
‘ tinae ingentem totius corporis tumorem adveniſſe. 2*do*,
‘ Quod illi, qui majorem cutis decorticationem experiun-
‘ tur, ſoleant etiam magis tumere, quam alii. Interim
‘ obſervavi valde magnum tumorem in aliquibus, qui
‘ nullam experiebantur decorticationem. 3*tio*, Quod in-
‘ fantes facilius, et magis tumeant, quam illi, qui ſunt
‘ aetate

† Withering account, p. 17.

'aetate provectiores. 4*to*, Quod aegri magis tumeant
'in hyeme quam in aeſtate; item illi magis, qui tempo-
'rius libero ſe exponunt aëri, quam qui in debita tran-
'ſpiratione degunt. Tandem, 5*to*, Quod iſte hydropi-
'cus ſtatus periculoſior ſit, et plures exinde moriantur,
'quam ex primo ſcarlatinae ſtatu †.'

Materiam purulentam diu effundentes, aliquando in variis corporis partibus, poſt ſcarlatinam, abſceſſus ſubnaſcuntur. Sunt et aliae affectiones anomalae, quandoque cum ſcarlatina conjunctae, aut illam excipientes, quarum mentionem fecerunt auctores, ſed eas, utpote levioris momenti, rariuſve obſervantur, praetereo.

Morbi eſt ſupra deſcripta ſpecies frequentiſſima. At, in multis exemplis, ſymptomatis longe gravioribus ſcarlatina ſtipatur, et in unaquaque re cynanchen malignam tam plurimum refert, ut internoſci haec ab illa non poſſit ‡. Quam ob cauſam, et quoniam eo plus periculi ſcarlatinae ineſt, quo magis ſymptomata cynanche malignae communia ſemet oſtendunt, ea breviter memorabo.

† Tractat. parag. viii.

‡ Celeb. Cullen, Firſt Lines, parag. DCLXXVI. 3. Clark's obſervations on fevers, &c. p. 212. &c. Home et Gregory praelect.

Scarlatinam itaque malignam praenunciare ſolent ſequentia, rigor, nempe, et calor ſibi invicem ſuccedentes, donec hic conſtantior et ſolito intenſior evaſerit; ingens anxietas, nauſea, cui brevi accedit vomitio, et dejectiones crebrae. Vultus, qui aliquando rubeſcit, ſaepius palleſcit, et aegri, propter rejectiones nimis violentas, ſyncope periclitantur. Fertur etiam, lenem cephalalgiam, et totius corporis moleſtiam, quae paulatim increſcit, aegros quandoque prius vexare, quam alia acceſſerint. Affectus gutturis, quod perpaucis horis poſtquam prima apparuere indicia, lugent aegrotantes, hic valde premit. Nihilominus, deglutiendi facultas tam laeſa haud fieri ſolet, ut ex faucium conditione, quam docet inſpectio, ſuſpicari fas ſit, et ea potius a muſculorum deglutitionis imbecillitate, quam a dolore pendere videtur. Cruſtae partes inflammatas obſidentes, quae ſunt coloris cineritii vel lividi, rapide creſcunt, et abſcedentes, ulcera patefaciunt, ex quibus emanat ſanies acer, foetidus. Ulcerum eſt circumſcriptioni, quae ſub initio coccinea, citus pallor; nunc quoque, humor tenuis et olidus ex naribus et ore effluit, adeoque acer, ut non modo nares ipſiuſque aegrotantis labia corrodat, ſed etiam digitos, brachia, parteſque omnes quas tangit inſervientium. Receptus idem in ventriculum humor, quod ſaepius, potiſſimum junioribus, incidit,

qui

qui haud ſedulo excreant, admodum ciere valet vomitiones, tormina, teneſmum, et frequentes dejectiones, quae vires magnopere frangunt. Quinetiam, ſi eum vaſa lymphatica abſorbeant, intumeſcunt et tactu dolent; horumque tumor, et iſte ingens oedematoſus totius colli, ad pectus uſque pertingens, quod gravi morbo ſaepe fit, periculum ſuffocationis non parum adaugent. Jam ſpiritus celer et perdifficilis evadit, nonnunquam et ſtridet, quaſi ex toto impediretur, et foetorem peſſimum emittit, adſtantibus vix tolerandum. Ea eſt vocis, ſi ulla adhuc perſtet, raucedo, qualis in affectionibus faucium gutturiſque venereis obſervatur. Tandem videntur, ſi inſpicias, quam maxime inflammatae omnes fauces, et gangraena affici. Eodem fere tempore, grumi materiae ſubnigrae nonnunquam expuuntur, ſolidis putridis factis et ſolutis valde ſimiles.

Supra, in hoc morbo ſaepe reſpirationem admodum laborare, edictum fuit, et veroſimile eſt, ex inſpiratione ſtrepente, voce rauca et tuſſi clangoſa, laryngem et tracheam parem inflammationem interdum participare †. Equidem in cynanche maligna auctorum, quamvis non adhuc, quantum diſcere potui, in hac ſcarlatinae ſpecie, quod talia,

† Vide Plenciz, parag. xxxix. Clark, p. 210.

talia, quae utrique communia ſunt, ſymptomata ſuadent, fida cadaverum inſpectio comprobavit †. Utut vero res ſe habeat, experientia, permultos extinctos fuiſſe infantes repentina ſuffocatione, ſatis edocuit, ſignis cynanches trachealis ſimul apparentibus.

Primo, ſecundo, rarius die tertio, efflureſcunt, quales jam definivi, in cute maculae. In paucis eryſipelatoſae, in exemplis aliis puſtuloſae, reperiuntur. Quae in hac quam in altera ſpecie magis irregularis, ſive initium, ſive tempus durationis reſpicias, eruptio, facilius etiam a frigore, vel ab alia quavis cauſa, evaneſcit; ſuntque inde gutturis laeſio et febris pejores. Inſuper, in aliquibus nulla per totum morbum adeſt eruptio, et in aliis cutis affectio ſolum innoteſcit inſigni pruritu, calore, et cuticula deſquammata.—Pyrexia neutiquam refringitur, eruptione facta; ſed circiter hoc tempus diarrhoea, et vomitus, praeſertim in adultis, ſi non penitus ceſſent, lenius ſaltem vexant.

Pyrexia hanc conditionem comitans, debilitate univerſa maxima, pulſu ſub initium parvo, duro, frequenti, et plerumque

† Confer Withering diſſertat. inaugur. de cynanche gangraenoſa, p. 8. Lieutaud precis de la medicine, edit. 2. Par. p. 519. &c. &c.

rumque irregulari, exacerbationibus quam conſtanter veſpertinis et remiſſionibus matutinis, deſignatur. Ægre fertur in hoc ſtatu laborantibus ſanguinis detractio, et repetita, licet parca, ſaepius ſuccumbere facit. Sanguis primo miſſus interdum cruſta coreacea obtegitur; progrediente tamen morbo, craſſamentum ejus laxum, totaque maſſa quaſi ſolutior, invenitur.

Haec morbi ſpecies vere exitioſa nullum tenet conſtitutum curſum. Namque plurimi gravate aegrotantium, ſecundo tertiove die, dum alii quocunque alio ad octavum uſque, exanimati ſunt. Phthiſi pulmonali laceſſiti, diuque pedetentim recedentes, nonnulli ad plures migrant. Quibuſdam, antequam diem obeunt ſupremum, facies, quae pallida eſt, et collum intumeſcunt, ſumma ſputum ejiciendi impotentia ſimul adeſt, exindeque reſpiratus pene impeditus. Porro, alii ab inopinata haemoptyſi aut epiſtaxi e medio tolluntur. Si ita fauſte, inſolenter licet raroque eveniat, ut aeger revaleſcat, ſymptomata eodem ac in benigno morbo ordine decedunt; rubor nempe cutis in fuſcum convertitur, riteque conſequitur decorticatio; modici prorumpunt ſudores; calor parum ſentitur; arteriae, quae antea crebro, exiliter et inaequaliter, aliquanto tardius, firmius, et aequalius movent; tu-

mor

mor faciei et colli externus minor fit; cruſtae faucium abſcedunt, et exulcerationes ſaneſcunt; reſpiratio liberius peragitur; acies oculorum, antea hebeſcentium, priſtina reſtituitur; veſci appetitus et ſomnus redeunt, aegrotumque ſummopere reficiunt.

DIAGNOSIS.

Morbus, vel a propriis indiciis, vel a proprio eorum, quae licet ei ac aliis communia ſint, concurſu dignoſcitur. Quamvis huic optime inſerviunt libri de Noſologia Methodica conſcripti, quorum omnibus perſpicuitate et elegantia Synopſis Cullen longe praeſtat; tamen hic, quibus rebus morbus de quo agitur, ab aliis eum referentibus internoſcatur, ſeparatius et plenius quam ſolus faciat character, percurrere, non ſupervacaneum cenſeo. Quoniam igitur, quatenus guttur afficitur, nonnulli morbi, ſcarlatinae ſimiles, uti cynanche tonſillaris, &c. notae quaedam ad diſcrimen commemorari debent.

Primi incurſus comitibus, ſignis aliquibus incertis et utrique communibus, ſcarlatina non facile a cynanche

tonſillari

tonſillari diſtinguitur. Illa autem a contagione ſemper; haec nunquam, ſed plerumque, a frigore corpori applicato, ducit originem. Morbum non perpeſſi ſunt contagioni illius obnoxii ſoli, et debilitas undecunque oriatur pejori morbo viam ſternit; huic vero opportunitatem dat conſuetudo, et aliquem ſaepe adoritur in vitae curriculo. Somnolentia, et febrilia, quam in cynanche tonſillari, ſaeviora ſymptomata, primam acceſſionem ſcarlatinae comitantur. In pleriſque adeſt illius exemplis, cum pulſationis ſenſu, dolor pungens, et totius corporis laeſio, e gutture videtur oriri; at, qui hac afflicti, dolorem cum calore urente obtuſum perſentiunt, et moleſtia ab initio univerſa. Faucium tumor in illa magnus, cum inflammatione phlegmonodea concolor, citius creſcit quam in hac, cruſtis, ſub quibus latent plerumque ulcera ſerpentia, necnon faucium irregulari et rubicundo tumore, notata. Sed, eruptione prodeunte, ut in ſpecie morbi frequentiſſima prope tertium diem fere ſemper accidit, de genere ejus, nunc ſatis manifeſto, amplius dubitari nequit. Parum quidem incommodi ſub utrovis laboranti, ſi venam ejus ſecare, vel procraſtinares, donec certior de morbo factus fueris, vel ex toto omitteres. Nam vix neceſſarium in cynanche tonſillari generalem ſanguinis detractionem, uſus aliquorum abunde teſtatur, et emetica in utriuſque initio

remedia

remedia praeſtantiſſima eſſe. Quum demum eſt ſcarlatina inimicior, et cynanches malignae imaginem reddit, pulſus arteriarum parvi, frequentes, ſaepe irregulares, proſtratio virium inſignis, anxietas, vomitus, et diarrhoea, quicquid dubii de morbi natura prorſus dirimunt.

Aphtha infantum ſeſe prodit eſcharis albidis, ad linguae margines primum comparantibus, et labia, gingivos, totumque os internum, demum occupantibus; atqui linguam in ſcarlatina cruſtae ne unquam tenentes, amygdalas, velum pendulum palati, et uvulam, primum obſident. Pyrexia aphthae rariſſime comes eſt, eiſque exemplis, quibus adſit, oris affectui ſuperveniens, non contagioſa; iſta vero ſcarlatinae admodum contagioſa ab initio vexat, et, quae brevi pateſcunt in cute, exanthematis certius dignoſcitur. Plura, ſi iis ſit opus, reſtant diſcrimina; ſed prolata ſufficiant.

Cum adhuc in dubio animus eſt, utrum ſcarlatina cynanchica ullo modo, niſi gradu ſolo, a cynanche maligna differt, cumque in nonnullis exemplis morbus huic omnino ſimilis, nimirum, cum ulceribus faucium ſerpentibus et febre typhode, modumque curationis eundem poſcens, ex eodem contagionis fonte profluit, utique neceſſarium

mihi

mihi videtur, fusius a morbis ei aliquando vicinis illam internoscere.—Hujusmodi exemplum imprimis habeo gastritidem erysipelatosam. Namque eam inter pessimamque, praesertim sub ejus initio, scarlatinae speciem discrimen facere, est admodum difficile; quippe quibus tam multa sunt, uti debilitas magna, anorexia, nausea, vomitus, quocum aliquando consociantur dejectiones frequentes, anxietas, sitis, deglutitio et spiratio difficiles, rubor faucium erysipelatosus, pulsus parvus, frequens, et nonnunquam irregularis, cum aliis pyrexiae signis, communia †. Pro veris istis acceptis, probe tamen alium ab alio discriminare commodum erit. Nam ad venaesectionem in gastritide erysipelatosa aliquando decurrendum est ‡: Verum perniciose ageres sanguinem in istis scarlatinae exemplis, qualia refert gastritis, detrahere. Quodam vero tenus inflammationem ventriculi erysipelatosam, per epigastrii ardorem et dolorem, qui, utpote non tam acutus ac in phlegmodea, medici est, ne pro anxietate sola habeatur, cavere; per vomitionem aliaque ventriculum laborare ostendentia, ante comparentia quam ea faucium; perque causae naturam, quae morbum effecerit, utrum

† Vid. Cullen. de gastritide erysipelatosa, First Lines, par. cccxci.

‡ Id par. cccxcii.

nempe acre quodlibet in ventriculo ſumptum fuerit, vel contagioni ſcarlatinae non patuerit aeger, agnitum iri confido. Quinetiam, contra, infauſtiſſima ſcarlatinae ſpecies, a primo ſuo inſultu, ſomnolentia, indiciis catarrhi, ut coryza et epiphora, et generali quadam cervicis aegritudine, de qua gutturiſque vitio magis conqueritur aeger, quam de ventriculo, ſtipatur, et a contagione orta publice graſſatur.

Inſuper, raro evenit, ſub hac ſcarlatinae ſpecie, inſtrumenta reſpirationis prorſus illaeſa manere. Et conſtat enim, tam ſignis externis quam cadaverum ſectionibus, ad laryngem et tracheam ipſam pertingere, in nonnullis conditionibus, a propria ſua ſede inflammationem. Quod cum factum fuerit, reſpiratio, quae aliter ſaepius in hoc morbo ſatis commoda eſt, difficilis fit, et ſub inſpiratione ſtrepit; voxque adeſt rauca, et tuſſis clangoſa. Vitium, tamen, faucium iſtas cynanches trachealis notas praecedit, et comitatur. In cynanche etiam vere tracheali, pyrexia eſt ſynocha, et non contagioſa; at in hoc ſcarlatinae ſtatu, typhus eſt, et peſſima debilitatis nota, putredine nempe, ſtipata.

De

De iſtis ſignis, quibus morbum, de quo differimus, ab alio quovis fauces itidem adoriente, ſecernere poſſumus, ſatis ut ſpero ſcriptum eſt; deinceps de diſcrimine a morbis potius ſummum corpus, quam alias ejus partes obſidentibus, dicatur.

Cl. Mortonus, qui ſcarlatinae mentionem fecit, ſeque in ea guttur interdum inflammatum et gangraena affici †, vidiſſe memoravit, pro nihilo magis quam ſpecie quadam rubeolae habuit. Verum, licet ambo ſimul graſſari obſerventur ‡, tamen, qui ſub uno laboravit, minime igitur ab altero liber conſtitutus eſt. Morbi etiam ſpecie eruptionis in cute nonnihil diſtant. In rubeola enim ſunt interſtitia anguloſa, quibus in pectore potiſſimum ſeparantur papulae exiguae, confertae; his in ſcarlatina numeroſioribus, illa deſunt, et propterea paſſim in cute eſt rubor floridus, et iſtiuſmodi quaſi cutis vino rubro perfuſa foret. Tuſſis porro, praeludiumque catarrhale cito in rubeola ſemet oſtendunt; non autem omnino in ſcarlatina, niſi in peſſima ejus forma, quae, ubi incidit, certius diſtinguitur

pyrexia

† Mortoni oper. tom. 3. p. 44. et 54.

‡ Tom. citat. p. 43. 44. ubi utriuſlibet fere omnia utrique communia eſſe, aſſeruit Mortonus.

pyrexia typhode, et exanthematis, die ſecundo apparentibus. Huc quoque accedit, quod minimus eſt in morbillis gutturis affectus, et quod non adſunt in faucibus cruſtae. Denique, in pleriſque exemplis, natura epidemici, et utrum aeger ab alterutro antea correptus fuerit, ſi noſci queant, una cum rebus jam traditis, haud dubium dabunt diſcrimen.

Miliaria, licet aliquis ſua dubia jure moveret, utrum morbus ſit idiopathicus necne †, facile tamen a leni ſcarlatina diſſepitur. Namque eruptionem illius praecedunt anxietas, ſuſpirium frequens, punctio cutis inſueta, ſudor olidus, ex quo ſolo forte gignitur eruptio. Papulae in miliaria faciem non occupantes, ſunt rubrae, diſcretae, et earum apices, poſt unum alterumve diem, puſtulas minimas, albidas, brevi manentes, oſtendunt. Guttur etiam incolume eſt. Puſtulae milii ſemen referentes interdum cum ſcarlatina maligna conjunguntur; ſed cynanche ſimul gravius premit. Praeterea, fertur, miliariam a contagione non procreari, et idcirco publice nunquam pervagari ‡.

Leniſſima

† Conſulat lector Cullen Synop. tom. 2. p. 141. 142. et Firſt Lines, parag. DCXCV. et ſeq.

‡ Idem. parag. DCXCVII.

Leniſſima ſcarlatinae ſpecies, qualem vidit et deſcripſit Sydenhamus, aliique, quoniam vitio faucium ſaepe caret, et quouſque cutis afficitur, variolam confluentem ſimulet. Haec autem cum pyrexia inſigni, anxietate, et vomitione aggreditur, eoque ab illa facile ſecernitur. In fere aliis omnibus noſtri morbi conditionibus, de cynanche imprimis conqueritur aeger; ſed in variola, non prius formantur puſtulae, quam tumor faucium, cum ſalivatione, ſupervenerit.

Circumſcripta ſedes, natura in plurimis exemplis non contagioſa, guttur ſemper illibatum relinquens, cum perpetua ſeri tenuis e parte inflammata exſudatione, quippe quae eryſipelati propria ſunt, eam a ſcarlatina clare diſjungunt.

☞ Si quis inter cynanchen malignam et ſcarlatinam anginoſam diſtinguere velit, hiſtoriam noſtram, qua amborum indicia conſcribuntur, perſcrutetur. Quum autem medici omnes quos orantes audivi, et nonnulli, quorum ſcripta relegi, cynanchen malignam cum ſcarlatina ſimul pertractaverint, et quum Cullen de hac diſſerens ad illam relegaverit, ita verba de utroque facere, meum eſſe duxi.

CAUSÆ REMOTÆ

Dividuntur in praediſponentes et occaſionales, ſeu excitantes.

CAUSÆ.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Infantes, quam adulti et aetate provectiores, ſexus muliebre, quam virile, et utriuſque ſexi debiles, quam integri, ad ſcarlatinam procliviores fere ſemper fuerunt exiſtimati. Et credo quidem, juniores contagioni hujus pariter ac aliorum exanthematum quam maxime patere. Utrum vero necne, major eorum numerus, liberior et frequentior mutua inter eos communicatio, qua contagio facilius ab aegrotante ad ſanum transfertur, difficultas iis medicamenta exhibendi, et adulti morbum forſan in ſua pueritia jam paſſi, fecerunt, ut pueri plus quam adulti conſilio medentis egerint, ſicque originem dederint opinioni, quae, et antehac et nunc, inveteravit de illorum proclivitate, non dicere auſim.

Qui ſemper notaverant mulierum, quam virorum, majorem numerum ſub ſcarlatina laborare, medici fere omnes antiquiores confeſtim illas, quam hos quodammodo corporis habitu opportuniores fieri, in ſententias iverunt. Marem vero ac foeminam aequaliter obnoxium eſſe, ex obſervatu nupero et accuratiore procul dubio compertum

eſt,

eſt, tum etiam, ob officium, nempe aegrotis aſtandi et miniſtrandi, has ſaepius corripi. Quod enim Withering † pro conjectura poſuit, id Clark ex experientia ſtabilivit ‡. Hicce ſedulus obſervator invenit, numerum eorum utriuſque ſexus aegrotantium, quorum aetas nondum exceſſerit viginti annos, pene eundem eſſe; quod plane probat eandem eſſe opportunitatem, etiamſi diſtet multum, ob memoratam cauſam, foeminarum numerus et marium, ultra hoc vitae tempus.

Luculenter expoſuit experientia, (qualiſcunque ſit contagii in mortales prima poteſtas,) ſaepius, quam bene valentes, infauſto morbo irritabiles atque imbecillos tentari. Hinc, ſi opinari liceat ea, quae actioni contagionis receptae inſerviunt, etiam primae receptioni inſervire, item jus foret, tales homines pro praediſpoſitis habere. Ex hac morboſa ac irritabili corporis conſtitutione forſitan eſt, quod ſi infantes vexet dentitio, ſi in menſtruis ſint foeminae, ſi a morbo convaleſcat aliquis, vel adhuc eo laborat, novus morbus ſaevior evadit.

Quinetiam, quibuſdam traditur ſcarlatinam, cum frequentiſſime

† Withering account, &c. p. 2.

‡ Clark obſervations, &c. p. 204. 205.

quentiſſime tum graviſſime in plebiculam ſaevire †. Hujus ſunt cauſa multae variaeque res, inter quales multitudo plebeiorum, commercium inter eos valde liberum, quibus contagium facile propagatur, domus parvae immundae minimeque perflatae quas habitant, diaeta parca et tenuis qua utuntur, prava morbi curatio, cenſentur; hae enim corpus haud dubie infirmant, itaque faciunt, ut benignus in malignum convertatur morbus.

Nonnihil ſcarlatinae malignitatem temperies coeli, et anni nimis calida tempeſtas adaugent ‡. Calor enim nimius vel diu corpori applicatus, homines vi qua pollet ſtimulante

† Clark, p. 203. &c.

‡ Id. p. 216. et Haken diſſert. inaug. de Febre Scarlatina 1781, Gottingae, p. 19. ubi, circa ſcarlatinam malignam Herbipoli, ann. 1766 graſſantem, traditur, 'quo diebus canicularibus vicinior morbus, eo pejor.'

Hic annotare vellem, quod ſolummodo, de meo ſenſu, cum morbus cum diatheſi aſthenica conſociatur, qualem plerumque clar. Clark tractaſſe contigit, tum calida noceat tempeſtas. Namque, conſtitutione phlogiſtica comitante, frigus potiſſimum laedit, ut legenti pateat ex Huxham obſervat. de Aëre, &c. p. 96. et Pelug, Hafniae chirurgi, obſerv. qui retulit, 'aërem frigidum et ſiccum huic morbo favere;' Haken diſſert. p. 29.

ſtimulante irritabiliores reddit, vires eorum tandem exhaurit, eoque dat proclivitatem ad diriorem morbum.— Hae ſunt quae de opportunitate, eamque efficientibus, ab auctoribus accepi. In omni parte hanc doctrinam minime abſolutam ſcio eſſe, atque utrum debiles an validi, cuivis contagioni magis obnoxii ſint, me nunquam poſſe ex proprio, parvo quidem obſervatu, dicere fateor.

CAUSA OCCASIONALIS.

Ut de caeteris fere omnibus epidemice graſſantibus morbis dicas, ita definita contagio ſcarlatinae cauſa unica eſt. Hoc adeo innoteſcit, ut vix egeat probatione. Morbo, ubicunque apparuerit, ſemper gradatim pervagante; qui aliis atque aliis regionibus inſident, diverſiſque eſcis et potionibus veſcuntur, homines infeſtante; eis tamen ſolum, qui contagioni obvii fuerint, eiſque igitur catervatim, uti plebeiis et pueris, quibus, cum caeteris ſui ordinis ac aetatis, tam ſanitate quam morbo ſubſtante, ſummum parumque idoneum intercedit commercium, invadente; ſcarlatinam per contagionem propagare, et per eam ſolam, ita manifeſtum fit, ut nihil magis: Etiamſi in aliquibus rationibus, cum primum adoritur, unde pro-

greſſa fuerit, nequeat oſtendi. Hujus ac omnis contagii multo caliginis natura obducta eſt, ſeu quo pacto agit, et ab ea ſymptomata edita. Hoc nihil melius probare poteſt, quam paucas ex multis quas de hac re auctores protulerunt, opiniones referre.

De hoc morbo, quem vix ducebat contagioſum, ita locutus eſt Sydenhamus, ‘ Hic morbus nihil aliud mihi ‘ videtur, quam mediocris ſanguinis effervefcentia a pro- ‘ greſſae aeſtatis calore, aut alio aliquo modo excitata †.’ Mortonus de ſcarlatina et morbillis aſſeruit, quod ‘ ab ‘ eadem cauſa evidenti, ſcil. ambientis aëris injuriis, ſive ‘ frigore in poros cutis admiſſo, ſive miaſmate contagioſo ‘ in eoſdem poros invadente, uterque effectus originem ‘ ſuam trahit ‡.’ ‘ Cauſa continens ſeu immediata eſt ‘ venenum ſpiritus inquinans, quod non tantum in primo ‘ morbi ſtadio malignitate ſua ſpiritus obruit, ſed maſſam ‘ ſanguinis agitando eam in colluviem acrem, prae caete- ‘ ris omnibus fermentis colliquefacit; unde ‖, &c.’—Navier, qui morbum 1753 Catalauni vidit, ex morbo pecorum epidemico hanc febrem per contagium ortam eſſe arbitratur,

† Sydenhami oper. § 6. cap. 2. p. 260.

‡ Mortoni op. tom. 3. p. 43.

‖ Ejuſd. tom. p. 22.

arbitratur, et cauſam ejus in miaſmate, quod cum morbilloſo comparat, acri, cauſtico, et putrefaciente conſiſtere †. ‘ Nullus dubito,’ ait Plenciz, ‘ quin ſtatuam, ‘ quod cauſa materialis ſcarlatinae conſiſtat in certis ſe‘ miniis animatis multiplicabilibus; eodem fere modo, uti ‘ ſcimus et videmus, alia ſemina animalium et vegetabi‘ lium ultro propagari et multiplicari.’ Opinatur etiam haec ſeminia, vel in corpore poſſe latere diu inertes, donec pervenerint ad certum debitumque eorum maturitatis terminum, vel ab aliquibus cauſis, quales ſint tempeſtas humida, euronothi, aliique auſtrales venti afferri. Dein vero, et ab his cauſis in actum deducuntur, multiplicantur, humores inficiunt, et ſcarlatinam interdum inopinanter producunt ‡. Pelug, chirurgus Hafniae, qui 1779 ibi et Lipſiae, verſionem Germanicam Tractatus Plenciz in vulgus edidit, et ex obſervatis ſuis quaedam tradidit, ſcarlatinam potiſſimum a ſuppreſſione aucta perſpirabilis materiae procreari cenſet; et, ſi a ſola retenta materia perſpirabili oriretur, catarrhalem dicendam eſſe; ſi ex ira, aliave animi commotione, bilis ſimul moveretur, bilioſam naſci ſcarlatinam, quae ſaepius et inflammatoria ſit; ſi fomes putridus in corpore adſit, ſcarlatinam malignam

† Comment. de rebus, tom. 4. part. 1. p. 339.

‡ Tractat. parag. xxxi. et ſeq.

lignam excitari, quae rectius putrida nuncupanda †. Qui pro imprimis contagioſo habet, ponit Withering, virus quoddam contagionem eſſe, quod initio in membranam pituitariam, vel Schneiderianam narium et faucium inſidet, mucumque oblinentem in ſuam naturam convertit; itaque, quantitate aucta, per oeſophagum in ventriculum, per laryngem ad pulmones, per tubos Euſtachianos ad aures, et a naribus ad oculos, atque cerebrum ipſum, ſerpit. Quoniam igitur contagio tales partes prius inficit, quam alios praeſtat effectus, ad morbum arcendum praemonet, emeticum quamprimum ſumi, fauces ſaepe et diligenter cum ſolutione lixivii cauſtici in aqua lavari, et ſternutamentum in nares immitti; pariterque, ex experientia ſua, haec omnia ad rem meditatam maxime apta, affirmat. Virus autem in corpore acceptum, uti putat, praecipue in nervos impetum facit. Hos enim primo infirmos reddit; ſed inde fit, ob quaſdam ſyſtematis nervoſi leges, quod inſtituatur reactio pro ratione debilitatis ‡.— Haken ratus eſt, 'hunc morbum fere ſemper enaſci a ſordibus primarum viarum, et quidem bilioſis poſt tranſpirationem ſuppreſſam ‖.'

Propoſito

† J. C. Haken diſſertat. p. 29 30.

‡ Withering account, p. 61.——70.

‖ Diſſert. inaug. p. 42.

Propoſito meo exemplorum affatim eſt. Nec animus fert opiniones haſce ſeparatim evertere; quaedam enim, ab exiguo et fallaci obſervatu originem ducunt, ideoque tam lubrico innixae ſunt fundamento, ut ferme ſponte corruunt. Pro hujuſmodi exemplo, imprimis duco illam Sydenhami ipſius. Nam, quolibet anni tempore, ſcriptis extat, et frequentius forſan in vere quam in autumno, graſſari ſcarlatinam †. Hujuſmodi etiam ſunt, quas de hac re tradiderunt Haken et Pelug; quia ſaepe ſcarlatina oritur, ubi cauſae, quales finxerunt, prorſus abſunt, nec, licet adſint, tales effectus valent edere. Hypotheſi Plenciz, ſecundum quem morbi exanthematici a miaſmate animato proveniunt, plurima obſtant. Omnes enim noſtrorum corporum leges, morbique phaenomena tali adverſantur, et eam, quanquam ille ingenioſus magnopere conatus, ne quidem vero ſimilem fecit. Nec magis arridet iſta, quae, modum quo exanthemata propagantur, enucleat, ſtatuendo, quandam humorum fermentationem contagium ciere, hoſque mutare in ſuam indolem. Negari

† Plenciz parag. xxx. ubi haec ſcripſit, 'Viginti et aliquot annorum ſpatio, ego hic Viennae illam ſaepius circa aequinoctium vernale, quam alio tempore, obſervavi; quo tempore etiam obſervarunt D. D. Schulzius, Navier, aliique.'

gari non poteſt, quod non modo virus contagioſum infinite adauctum ſit, ſed et hic auctus per mutationem alicujus, nec parvae humorum portionis fieret, oporteat. Verum vix, ac ne vix quidem, talem mutationem recta in humores contagionis operatione, ſimili modo, quo chemica peragitur aſſimilatio, produci credendum. Nam, ſi revera ita eſſet, quoniam novus chylus ab aſſumpto cibo perpetuo formatur, cum caeteris humoribus commiſcetur, et tandem in eos convertitur; itaque novum pabulum contagioni aſſidue praeberetur, et cutis ſemper debet efflureſcere. Nequeo igitur eorum, qui noſtros arbitrantur aſſimilari miaſmate contagioſo humores, in ſententias concedere.

Contagionem Withering dixit, non tantum primum arripere membranam faucium et narium, ejuſque mucum quodammodo in ſuam naturam permutare, ſed etiam ex hoc ſolo fonte per totum corpus dimanare. Nonnunquam vero nulla obſervatur gutturis affectio; nec de eo per totum morbi decurſum conqueritur aeger. Et, licet aliquando emetica, quod Withering notavit, ſi haec brevi poſtquam prima comparuerint indicia adhibeas, morbum arceant; num tamen membranam faucium mucoſam noxa imprimis adoriatur, an ſecus, jure diſputari

poteſt.

poteſt. Si amoveatur, emeticis tempore adhibitis, febris, crederesne fauces prae caeteris partibus contagionem contaminare, ideoque ſuum ob ſitum eam vomitione poſſe ablui?

Contagionem ſcarlatinae applicatam phaenomena conſequentia, quadam in corpore animale ſolo inſita poteſtate, et quae forſan in ſyſtemate nervoſo pendet, regi videntur. Haec poteſtas ita facere obſervatur, ut certo ac definito temporis ſpatio contagio augeretur, et e corpore, quod poſthac a tali fit immune, rite emitteretur. Fateor equidem, quo haec efficiuntur me prorſus modum latere. Qui humores fermentatione quadam in contagii indolem verti credunt, analogia commutationis chemicae, opinionem ſuam firmant. Et nonne alteram converſionis aquae in ſuccos vegetabiles varios analogia juvat? Saepenumero arborum diverſarum rami fructiferi eodem naſcuntur trunco, et mala inſita una cum ſua prole fert pyrus. Immutatio quam ſubit aqua, cum in latices adeo diverſos ut ſunt hi ſucci, convertitur, magna ſaltem ex parte, ſi penitus non, ab actione vaſorum, fieri videtur. Modo fortaſſis eodem, ſcilicet vaſorum actione, exanthemata poſſint produci. Tales vero conjectiones analogia ſola ſuffulciuntur. Ex tantum abeſt ut ex ea in omnibus recte diſputetur,

tur, ut ſimilitudinis ſpecie ſaepe decipiamur. Hic etiam, cum tantummodo conſtat ratiocinium ex analogia, quae in rebus abditis ultro ſeſe offert, et cum igitur cavillationi locus nunquam non pateat, in promptu ſemper eſt cuiquam objicere doctrinae, et res haudquaquam facilis, ſemper nobis viſa, vel rectiſſimas opiniones defendere. Quocirca non eſt cur amplius de morbi cauſa et natura contagii dicam, aut plenius inveſtigem, quatenus inſipienter aut recta ratione, de iis locuti ſunt homines. Modum equidem credo, quo operat in corpus, effectuſque ſuos praeſtat contagium, inter naturae arcana eſſe, acie humana ne unquam attactura.

P R O G N O S I S.

Medicum, in pleriſque morbis, de eorum eventu poſſe certe praeſagire, ad famam ejus et commendationem quam plurimum confert; maximam enim ſcientiam jure demonſtrat. Nec medici ſolum intereſt, ſed et aegrotantis. Nihil enim magis, ad ſymptomata vel praecavenda vel medenda conducit, quam ea praeſentire. Prognoſis, autem, in aliquibus morbis, et in nullo magis quam in

ſcarlatina,

ſcarlatina, ex circumſpectione ſumma et accurata conſideratione quas meretur, utpote res ſane maximi momenti et perquam difficilis, debet inſtitui. Si moliremur, ad melius efficiendum, quae morbum ſtipant vel comitantur, et quae eum ſolent conſequi, eorum ratio haberi oportet.

1. Poſtquam morbus aggreſſus fuerit, eventus quodam tenus prognoſci queat per genium epidemicum, ſive malignum ſive benignum, et per indicia ipſa, quorum illa, in ſecunda hiſtoriae parte memorata, infauſtum promittunt eventum. Quo enim plus refert cynanchen malignam, eo ſemper pejus. Tametſi vero ab ea longe diſtet, tamen haud deſunt exempla, quibus lethalis evaſit. In adultis, pariter ac in junioribus, cum eruptio, quae cito apparuerat, ſubito recedat, et cutem lividam et oedematoſam relinquat, cumque pyrexia vehemens, et delirium ſimul accedant, et potiſſimum ſi diarrhoea ſuperveniat, etſi guttur parum vitietur, ſummum denunciatur periculum. In hiſce conditionibus, oculi parum ſentiunt, et tunica albuginea aequaliter rutila eſt †. Si mutent maculae ſedem, ſi modo palleant, modo rubeant, metuendum eſt, ne delirium, imo mors, conſequatur; debilem enim et abnormem incitationem deſignat.

† Withering account, p. 9. 10.

Cum morbus fauces potiſſimum petit, infantes plus quam adulti periclitantur, quia illi nec gargariſmis uti, nec ſputum edere valent; itaque ſaniem ulcerum, quae diarrhoeam movet, inteſtina ipſa nonnunquam rodens, ſaepe deglutiunt, et quia minime dociles auxiliis difficillime obediunt. Quinetiam aliquando ſcarlatina, licet primo, vel ad deſquammationem uſque, benigna videtur, improviſo in pejus ruit. Et pyrexia enim ſubito accenditur, majora adſunt inſomnium, inquietudo, et mentis alienatio, et phrenitis admodum ſimulatur. 'Tales caſus,' ait Plenciz, 'plures habui, et ideo cautior redditus de morbi natura, 'facile ante debitum terminum definire non ſoleo †.'

2. Reſtat nunc ut quaedam proferamus de prognoſi, quantum ad affectum ſcarlatinam ſequentem attinet, ſeu tumorem hydropicum, in quo nonnunquam poſita eſt malitioſa morbi natura. Plures enim, quoſne dicam adſtantes, ſed et medici in vado conſtitutos eſſe credunt, brevi langueſcunt, novumque capiunt morbum, quem pluſquam priorem ſaevire aliqui viderunt ‡. Veruntamen, abeunte ſcarlatina,

† Confer Plenciz Tract. parag. c. ci.

‡ De Haen Ration. medend. continuat. tom. I. part. I. cap. vii. p. 138 &c. Plenciz tract. parag. XLIV.

ſcarlatina, ſi convaleſcentes a pyrexia immunes ſint, et cibum ut ſolebant, appetant, conſueta redeat alacritas, omneſque excretiones naturaliter ſe habeant, concludendum eſt, minus eſſe periculi ne excipiat hydrops. Verum, hoc demum adoriente, ſi cum pulſu febrili conjunctus ſit, majus portendit periculum, quam ſi ſit ſine febre †.

CURATIO MORBI.

Cuipiam hujus morbi medelam perpendenti, tres ſpecies vel varietates praecipue pertractandas, perſpicuum eſt; in quarum enim ſingulis quaedam eſt medendi diverſitas.

I. Scarlatina cum ſynocha leni, et cum parvo vel nullo faucium vitio.

II. Scarlatina cum ſynocho, et mite faucium exulceratione.

III. Iſta, in qua, quam in prioribus, inconſtantior eſt efflorescentia, et in qua fauces afficiuntur ulceribus ſerpentibus,

† Loc. proxime citat.

pentibus, et gangraenosis, una typho comitante.—Ne vero in his singulatim percurrendis justo diutius morer, ut operam navarem, illico meipsum accingam.

I. *De scarlatina proprie dicta.*—Medentis auxilii, in morbo adeo benigno, ut hic fieri solet, vix indiget aeger. Inter praecepta, simplicem esse curationem, edoctus experientia Sydenhamus posuit. Ut aeger a carnibus vel cibo ex iis confecto, et a potu generoso abstineret, regimine antiphlogistico ex omni parte uteretur, et nimium caloris frigorisve externi incrementum evitaret, sit necessarium. Quae fere astricta, alvum solve laxantibus, qualia sunt, manna, cremor tartari, decoctum tamarindorum cum senna, et clysmatis ex similibus parandis. Si, quod eruptionis sub initium quandoque accidit, infantum ac puerorum epilepsiae convulsionibus distrahantur corpora, parca sanguinis per hirudines detractio, si signa sint plethorae, et pediluvium, balneum tepidum, et opiata multum prosint. Si itidem aegrotantis coma in terram prostrati, ad posteriorem cervicem vesicatorium amplum applicares, Sydenhami praestantiam imitatione consequeris. Nimia medicamentorum exhibitione, ne plus detrimenti quam emolumenti capiant aegri, omnes caveant. Plenciz narrat, ‘ quod morbus de sua indole benignus, fit hac ratione ma-

‘ lignus

' lignus†.' Et ipſe Sydenhamus aſſerit, ' quod ſi plus negotii ' aegris faceſſamus, vel lectulis continenter incarcerando, ' vel cardiacis aliiſque remediis ſupervacaneis nimis docte, ' et (ut vulgo videtur) ſecundum artem ſupra modum ' ingeſtis, morbus ſtatim intenditur, et aeger non raro ' nulla alia de cauſa, quam nimia medici diligentia, ad ' plures migrat ‡.'

II. Dixi de ea morbi ſpecie, cui medicina facile ſubvenit; nunc ad eam tranſeundum eſt, quae magis cum medicamentis pugnat. Ut ſcarlatinae cum ſynocho, et gutturis exulceratione leni medearis, quae ſequuntur, ea expleantur. 1. Diatheſin inflammatoriam principio moderari; 2. Debilitatem, quae ſemper nimiae ſuccedit incitationi, et pro ejus ratione eſt, removere; et 3. Quaſdam affectiones levare, et morbi conſequentiam praecavere.

1. *Principio diatheſin inflammatoriam moderari;* quod fieri poteſt, 1*mo*, Uſu regiminis antiphlogiſtici, vel illas vitando vel minuendo irritationes, quae aſſidue fere corpori admoventur. Tales ſunt impreſſiones in organa ſenſuum factae,

† Tractat. parag. lii.

‡ Sydenhami oper. ſect. vi. cap. 2.

factae, veluti sonus, luxque nimia, et calor externus. Corpus in modica temperie per totum morbum habendum. Licet forte in hoc, non aliter ac in aliis quibusdam exanthematis, nonnihil conducat ad reddendam leniorem pyrexiam, eruptionem comitantem, frigus tempore admotum; quum tamen certo certius postea admodum noceat, tutius fore arbitror eo non uti. Namque a summo repellit corpore sanguinem, ab eo efflorescentia minuitur in cute, necnon inflammatio intenditur gutturis †. Quinetiam, ubi fuerat libere applicatum frigus, supervenire catarrhi symptomata, Cullen se vidisse, quum epidemica erat proxima hyeme scarlatina, prodidit. Memoravit etiam, quod ob frigus adhibitum, nec exanthemata evanescebant, nec cynanche gravius premebat, et sub morbi finem, quo tempore frigus amotum erat, inde catarrhus sensim mitescebat; sed caetera symptomata prout in aliis exemplis se habebant. Motus corporis et omnes ad cogitationem,

† Withering account, p. 12. 13. et Huxhami observat. de Aëre, tom. 1. p. 95. 96. ubi de hoc morbo, quem placuit illi *febrem anginosam* nuncupare, locutus est, haecque habet verba, 'quod vero jam (Junio ann. 1734) cutim magis petat, quam superiore mense, ob majorem aëris calorem esse arbitror, humores elicientem extra: medio enim Maio, cum atmosphaera, pro anni tempore, erat maxime frigida, dolor ac faucium tumor urgebant gravissime.'

cogitationem, maximeque ad animi perturbationes ducentes, impulſus, utpote corpus ſtimulant, quanta fieri poteſt cura, vitandi ſunt. Cibus aceſcens atque vegetabilis, ut ſunt farinaria omnia et lac, parcius ſumatur, et animalis prorſus prohibeatur. Liquores ſpirituoſi et fermentati (niſi ſint tenuiſſimi excepti) quoniam magnopere incitant, aegro non bibendi. Pro potu tamen, aquoſi, qui acidis admixtis gratum ſaporem conceperunt, in uſu ſint. Parum laedunt, quoniam perſpirationi favent calidae parce ſumptae, infuſiones aromaticae. Æger aurantia et quoſcunque alios fructus maturos ad libitum habeat. In ventriculo, quod ſub initio pyrexiarum ſaepe fit, a cruditatibus ſtimulus oriens, vomitu et dilutione; in inteſtinis a ſaecibus retentis, medicamentis laxantibus et clyſmatis, ſedulo debet auferri.

2. Remediis ſedantibus, qualia imprimis ſunt variae exinanitiones, quae tenſionem, tonum, actionemque ſanguiferi ſyſtematis diminuunt. Cum enim actio ejus pro magna parte ex tono, hic ex vaſorum tenſione, quam fluida his contenta impertiunt, proficiſcatur, perſpicuum eſt, minuta humorum quantitate, minorem quoque ſanguiferi ſyſtematis, eoque univerſi corporis, actionem et impetum fieri. Nihil ſane evidentius eſt, quam quod *ſanguinis miſſio*

potentiſſima

potentiſſima ſit ad hoc efficiendum. Hujus igitur ſpeciei principio, ſi pyrexia vehemens ſit cum pulſu pleno, cumque magno faucium tumore, ſanguis e brachio detrahatur. Adulti quam juniores, et qui in autumno † ſeu frigida tempeſtate morbo confligunt, hanc evacuationem plus requirunt, meliuſque tolerant, quam alii, iiſdem temporibus non aegrotantes. Remedium hoc, quoties eo opus ſit, primum adhibeatur oportet.—Fateor autem, quod de uſu venaeſectionis in hoc morbo ſententiae ſcriptorum inter ſe adeo diſcrepant, ut quando ad eam decurri debeat, ab indiciis vix queat judicari. Multum quidem pendet in genio epidemico, qui experientia ſola poteſt cognoſci. Attamen obſervatus aliquorum docuerunt iſtud, quod a ſignis praecedentibus expectandum foret, ex venaeſectione non profluiſſe commodum. Quapropter, et quia debilitas poſtea conſequitur, a multa et repetita debet abſtineri.

Alvi purgatio remedium eſt antiphlogiſticum, et inter caetera in cura hujus ſpeciei commendatum fuit ‡: Experientia

† Withering account, p. 75. Cullen praelect. Huxham, aliique.

‡ Sauvages Noſol. Method. tom. 1. p. 454. Amſtelodami, 4to, &c.

perientia tamen utilitatem ejus nequaquam confirmavit. Morbus manifeste levis ab ea factus fuit vere periculosus, et saepe subito lethalis †. Noceat etiam saniem ulcerum, quae forsan ex ventriculo vomitione expelli poterit, per tota intestina diffundendo. Praeterea, sine dubio constat, utcunque veram ejus rationem reddere difficile sit, quod scarlatina pariter ac rubeola gravior fiat, subito eruptionis recessu. Itaque, omnino vitanda, uti humores a superficie corporis ad intestina elicit, purgatio.

Hoc tempore *emetica* praestantissimo sunt auxilio, et providum eorum usum maxima laude fere omnes prosequuntur. Faucibus haud obsunt, etsi a statu inflammato eorum aliter fore pertimescendum sit. Ventriculum depleri faciunt, itaque nocuis liberant ingestis, et magnam, quae prorsus jugulare infantes minitatur, muci tenacis copiam a faucibus abluunt. Quoniam alvus simul aperta servari debet, eo tartarum emeticum, quod alvum etiam laxat, et quod gradatim sumptum certiore dosi exhiberi potest, aliis praeripit palmam. Praeterea, eadem remedia, viscera agitando, bilem comportantes ductus emulgent, viisque a primis sordes expellunt biliosas. Actione in

† Withering account, p. 81.

ventriculum ſua, quem inter et cutem inſignis eſt conſenſus, diaphoreſin movent, itaque calorem corporis praeter naturam accenſum comminuunt, totamque pyrexiam multum temperant. Nec apud ſcriptores non deprehenduntur exempla, ubi penitus fugatus ex tempeſtivo uſu eorum morbus fuit †. Qui ſummis laudibus emetica effert, ea per morbi decurſum ſaepius adhiberi Withering ſuadet, imo nonnunquam deteriore morbo bis indies ; et praxis aliquorum in noviſſima epidemica ſcarlatina, qui antehac periculum nunquam faciebant, comprobavit, quod frequens tartari emetici in doſibus parvis exhibitio, medebatur contra aliquas ventriculi affectiones, pejorem fieri morbum indigitantes.

Diuretica optima medicamenta eſſe, emeticis exceptis, inveniebat Withering. Magna ex hujuſmodi medicaminum caterva, ad votum alcali vegetabile fixum ſolum reſpondebat, quod quantitate drachmae unius vel binarum, potu vel alio aliquo hauſtu, ſumptum erat.

Sudatio graviora ſymptomata omnia reddat, ſi ſit vel medicamentibus vel calor externo excitata. Quoniam

† Withering account, p. 77. Clark obſerv. p. 250. 251.

niam autem ad eam proclivitas aegrotanti prodeſt, ideo ſub initio, cum cutis ſicca et calida eſt, et delirium inſtat, pediluvium ſaepe adhibendum ; et in nonnullis exemplis, ubi tumor faucium ſimul ingens eſt, balneum tepidum quam plurimum juvat †.

II. Ad vires aegrotantis fere devictas inſtaurandas, diaeta quam antea ſit lautior, et appetentiae aegri accommodata. Cereviſiam et fortem, *Porter* appellatam, potiſſimum adultus, et vinum aqua moderatum pro potu habeat.—Nunc quoque cortex Peruvianus ſit auxilio, et exhibeatur plurimi ſuadent ‡.

Modo ſupra memorato, ita benignus evadit, ut cortici, utcunque dato, facile cedit morbus.—Medici autem caveant, ne uſu ejus intempeſtivo inflammatoriam adaugeant diatheſin, eoque morbum maligniorem efficiant. Et nonnulli

† Clark obſerv. p. 254. Withering account, p. 95.

† Morton op. tom. 3. p. 48. &c. De Haen Ration. Medend. Contin. p. 144. Plenciz Tract. parag. l. Clark Obſ p. 346. et forſan Sydenhamus. Quiſnam alius quam ſcarlatina morbus eſt, quem appellare *Febrem Stationariam* illi placitum fuit ? Confer ejuſdem op. Lugduni ed. 1754, p. 579. et ſeq. de Feb. Stat. cum p. 283. ubi anginam tractat.

nulli enim plurimum damni ufum ejus, et forfan ob hanc folam caufam, fequi viderunt. Reditum fanitatis multum accelerant modica exercitatio, coelumque rufticum. Veftimenta calida effe debent, ad perfpirationem promovendum, et hydropem arcendum.

III. Alia in fecunda fpecie indicatio reftat, nimirum, ut quaedam fymptomata leventur, et, frequentiffima morbi fequela, hydrops fanetur.

Eft tumor faucium plerumque notabilis, et interdum fuffocationem minitatur. Hoc ftatu, laudata fuit, et nonnunquam veficatorii nuchae applicatio prodeft, alias vero nocet †, et remedium nunquam ambiguum non eft. Detractio fanguinis per hirudines vel cucurbitulas, fub angulis maxillae appofitas, inflammationi gutturis in fcarlatina, quam in cynanche tonfillari, non tam accommodata eft; etfi ad eam, cum magnus faucium urget tumor, confugiendum.—Cruftae ut facilius ejiciantur, et mucus ifte vifcidus, quo faepe infarciuntur fauces, gargarifmis uti femper neceffarium. Hi ex aqua et lacte, ex infufo falviae cum aceto et melle, conficiuntur, et per fyringem in fauces infantum fine periculo injiciuntur.

Per

† Withering, p 91. 92.

Per purgantia, quae religiose sub morbi finem sumpti esse solent, tumores hydropices, hanc speciem morbi saepe excipientes, plerumque recedunt. Si autem ita humor evacuari nequeat, tunc diuretica prospere adhibeas; sed sudatoria, ut De Haen ait, vix unquam, prae impenetrabili fere corporis superficie. Diureticis aliis, non sine ratione gravi, anteponuntur cremor tartari, acetum scilliticum, et scilla calomelana adjuncta, quoque repellitur hydrops, exercitatione, indusio laneo, cibo generoso, et medicamentis tonicis ac stimulantibus.

III. Ne nimis sero ad extrema veniam, de tertia curationis parte aggredior addicendum. In hac pessima morbi specie consilia medendi sunt, 1. Vires aegroti sustentare et restituere; et 2. Quibusdam symptomatis ire obviam †.

Ad

† Haec morbi species, quae cynanchen malignam refert, saepius quam praevideant medici, reperiatur. Ex 131 aegrotantibus, quos hyeme 1778—79 Novi Castelli, curabat Clark, 33 sub morbo cynanche malignae auctorum omnino simili laborabant, et in hisce omnibus contagio eadem erat. In scarlatina, quae hac urbe proxima hyeme epidemice grassabatur, exempla eorum, qui sub hac forma

aegrotabant

Ad primum respondendum exinanitiones omnes fugiendae sunt. Sanguinis detractionem et purgantia admodum nocere inter omnes consentitur. Acida vegetabilia, nitrum, haustus salinus, aliaque antiseptica et refrigerantia, cautissime utenda sunt; saepe enim purgationem movent, et quandoque nimiam sudationem. Eorumque usui superveniat syncope †.—Nisi principio, cum nausea et rejectiones spontaneas vexant, emetica vix adhibenda. Morbum postea certius citiusque curari, compererunt Fothergill et Clark, istis in exemplis ubi fuerant mature sumpta antimonialia. De usu medicamentorum vomitoriorum ita Huxham tradit: 'If nausea and vomiting 'were urgent, I ordered a gentle emetic, especially for 'adults, which was so far from aggravating the pain of 'the throat, as might be imagined, that it generally 'greatly relieved it; nay, in children, it was often ne-'cessary to make them puke frequently, otherwise the vast

'amass

aegrotabant tam numerosa erant, ut dicere nequeam utrum cynanchen malignam, an scarlatinam anginosam, plus referebat. Cullen hujus epidemicae mentionem fecit, cum de scarlatina praelegebat; quo tempore fassus est omnes morbi varietates in ea commisceri. Equidem praelectionibus suis clinicis, sub nomine cynanches malignae, de ea Home et Gregory disseruerunt.

† Fothergill Works, vol. 1. p. 378. 389.

' amaſs of tenacious mucus would quite choak them †.'— Non, niſi ut deliquium animi praevertatur, cantharides admoveres. Exhaurit plurimum ſudatio, ſed lenis juvat diaphoreſis. Ad hanc conciliandam, adque aegrotum ſimul ſuſtinendum, ſerpentaria, contrayerva, et medicamina leniter ſtimulantia, cum fructu uſurpata fuerunt ‡.

In quorum operatione, jure ſummam collocamus fiduciam, ſunt remedia, vel conjunctim vel ſeparatim data, cortex Peruvianus et vinum. Si quorundam pathologorum opiniones credas, optimum illud medicamentum primum in humores vi antiſeptica agit. Quum autem cortex effectus poſt ejus in ventriculum injectionem tam repentinos praeſtat, prius certe, quam ipſe maſſam ſanguinis ingreſſus fuerit, ideo illos nequaquam ex operatione in humores eſſe repetendos, ſed ab actione tonica, vel leniter ſtimulante, in nervos ventriculi edi, et ab his in univerſum ſyſtema nervoſum propagari, nobis colligere licitum eſt. Omnibus diuque cortex communis multum laudatus fuit, donec tractatus a Saunders de *cortice rubro* nuper prodibat. Ex experimentis ab eo inſtitutis conſtat, hunc validiorem et uſui accommodatiorem eſſe, et in morbis

† Huxham Eſſay on Fevers, &c. p. 290.

‡ Fothergill.

bis omnibus, quibus hoc medicamentum neceſſarium venit, illi antehaberi. Pulvis corticis, prae formis vel ſoluti vel decocti, quae imbecillae ſunt, aſſumendus; nihilominus, quavis ſub forma detur. Cum extracto glycyrrhizae forma lincti a junioribus ſatis expedite deglutitur. Nimis libere vix dari poteſt, et ab initio ad finem morbi uſque in uſu perſtet aeger †. Cortex, ſi conſtanter rejiciatur, aut ſi in quantitate debita non aſſumatur, quod ob deglutitionis dolorem ac difficultatem in ſcarlatina ſaepe fit, ſub forma clyſmatum miniſtretur oportebit; et hoc modo adhibitus, 'eundem ac ſi per os aſſumptus fuiſſet, exerit 'effectum †.'

Vinum, caeteris omnibus ſtimulantibus, quoniam palato et ventriculo gratum eſt, et aqua adeo poteſt moderari, ut doſibus aptis dari queat, anteferendum. Quod velit aeger, id vinum habeat. Si illi non optio ſit, vina rubra, ut Luſitanicum, vel id quod apud Britannos *claret* nomen ſibi nactum eſt, quae maxime aſtringunt, aliis anteponenda. Vinum vel per ſe vel in potu communi ſumatur. Medicamen hoc, et alia id genus, ob ſuam vim in ventriculum ſtimulantem, cito pulſus arteriarum frequentiam

† Firſt Lines, parag. cccxiv.

‡ Plenciz, parag. LI.

quentiam compeſcunt, et vim ſimul augent, perſpirationem movent, ſuſtentant, calorem minuunt, et a putredine aegro praecavent. Quocirca, ubi debilitas univerſa urget, ad delirium arcendum, adque vires inſtaurandas, quam plurimum conducunt. Rubor oculorum, calor corporis, pulſuſque celer, qui in hoc morbo ſaepe obſervantur, ab uſu vini deterrere videntur; ſed ingens virium proſtratio, et parvus, debilis, ſaepeque pulſus irregularis, uſum ejus et neceſſitatem clare indicant †. Cortex igitur et vinum, ſub hac ſcarlatinae peſſima ſpecie, ſemper in tantum adhiberi debent, quantum aegri conſtitutio ferre poteſt, et morbi indicia poſcunt.

Frigus, licet plerumque enumeratum ſit, inter optima tonica, tamen ob ſtatum cutis nonnihil obſit. Cubiculum aegrotantis amplum, perflabile, potiuſque calidum quam frigidum ſit. Quoniam munditia ſemper grata eſt, ſtragula et induſia permutari expedit. Victus aegri debet eſſe ex ſago, panado, juſculo in quo vel pullus vel caro bubula decocta ſunt, et ex cibo animali, ſi, quod ſaepe eſt ‡, eum appetat aeger: Potus ex cereviſia tenui aut forti,

† Fothergill, p. 392.

‡ Ibid. p. 393. C. Colden, London Med. Eſſays, vol. I.

ſeu vino in aqua. Antequam vero deglutiit aeger vel cibos vel medicamenta, ut os et fauces rite gargariſmis abluantur, cavendum.

2. In hac ſpecie, quam in caeteris, ſunt morbi numeroſiora ſymptomata, nec non gravioris momenti. Eorum ne ullum periculoſius quam eſt diarrhoea. Contra hanc calor lecti multum opitulatur. Calor enim temperatus corpus haudquaquam enervat, reficit potius, et ad ſuperficiem eliciendo humores, exanthemata accumulat, cynanchen nonnihil levat, et aegrotum a torminibus, teneſmo, et dejectionibus frequentibus, tuetur. Caeterum poſthac, ſi hoc dyſenteriae ſymptomata calori adhuc obſiſtunt, confectio Japonica et opiata adhibenda. Cum tuſſis, ſi a ſanie ulcerum irritatione oriatur, vexat, mucilago gummi Arabici aut infuſio ſeminis lini, cum aliquot laudini liquidi guttulis, ſubinde aſſumpta, multum valent; ſi verum a dyſpnoea, remedia generalia ſolummodo prodeſſe invenies. Ne cruſtae, quibus ulcera obteguntur faucium, vi externa abradantur. Hoc incaute tentatum, haemorrhagia ſecuta eſt, ſymptomata omnia graviora reddita, et nova altioraque ulcera facta. Gargariſmi commendati ſunt diverſi; ſed partes aquae et lactis aequales, aut illa cum vino vel ſpiritu vini pauxillo,

ſcopo

ſcopo optime ſatisfaciunt. Complures eorum, qui ſub titulo antiſepticorum prodeunt, veluti camphora, aceto ſoluta, tinctura myrrhae, aloes, &c. uſurpantur; ſed adeo ingrati ſunt, ut aegrotos faciant talia remedia prorſus faſtidire. Repetitam gargariſmorum per ſyringem in fauces injectionem, cel. Pringle et Fothergill maximi fecerunt, et pleno collaudarunt ore †. Aër fixus, variis modis exhibitus, laudibus eſt ornatus; ſed quomodo profuit, ignoro. Fallax experientia fuerit, quoniam ſemper validiora cum eo ſimul uſurpantur remedia. Quanquam vi antiſeptica pollere inveniatur, et idcirco in hoc morbo ad putredinem arcendam in pulmones trahatur, nonne tamen aër ita ſaturatus receptioni ſimilis materiae a pulmonibus impar fit?—Si inopinata epiſtaxis ſuperveniat, aeger in ſitu erecto teneri debet, turundae aceto frigido madefactae in nares trudendae ſunt, et nonnulli ad uſum opii ſimul hortantur.

† Pringle diſeaſes of the army, p. 143. Fothergill, tom. 1. p. 399.

F I N I S.

Bound 6/83